

45317

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**P E S T E**  
QUAM  
CONSENSU  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME OBTINENDI  
IN  
INCLYTA ARGENTORATENSIOUM UNIVERSITATE  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
ANNO MDCCCLXXXI. DIE XX. JUNII  
**H E L I A S R U T Z K Y**  
*UCRANO - RUSSUS.*  
H. L. Q. C.

---

*ARGENTORATI*  
Typis Joh. Henrici Heitzii, Univeritatis Typographi.



A SON ALTESSSE

LE

**PRINCE PROSOROWSKY**

LIEUTENANT-GÉNÉRAL AU SERVICE DE RUSSIE,

CHEVALIER DE L'ORDRE DE ST. ALEXANDRE NEWSKY,

DE LA SECONDE CLASSE MILITAIRE DE ST. GEORGE &c.

# MONSIEUR !

Les loix de l'Université, que j'ai fréquentée, m'astraignent à un devoir bien sensible à mon coeur, celui de chercher à me rendre utile à l'humanité, en traitant avec précision une matière médicinale : pour remplir ce but avec avantage, j'ai fixé mon choix sur la peste, sujet vraiment grand, & si j'ose le dire, digne de paroître sous les auspices de VOTRE ALTESSE.

Point de fléau plus redoutable peut-être pour le genre humain ! mais il n'est jamais plus destructeur, que lorsqu'il est méconnu. On croiroit à peine à la possibilité d'une erreur aussi dangereuse par ses conséquences, si les fastes de l'art ne nous en fournissaient un exemple des plus frappans. Deux célèbres Médecins

de l'Italie a) triomphèrent en cette occasion des vues faines de la multitude ; & Venise ne se réconnut la victime de leurs préjugés, que lorsqu'elle fut presqu'entièrement ravagée par la peste.

Cette triste preuve de la foiblesse de l'esprit humain, en affoiblissant ma confiance dans les descriptions des Auteurs, a étouffé le desir, que j'avois conçu d'enrichir, & d'étayer mon ouvrage de leurs lumières. C'est d'après nature que je veux tracer le portrait, que je médite ; & l'observation seule guidera mon pinceau. J'ai vu les symptomes de cette affreuse maladie à tant de reprises différentes ; qu'un pinceau étranger denatureroit mon tableau, au lieu de lui donner du coloris & de la force.

Si quelqu'un doutoit de sa ressemblance, je pourrois, MONSEIGNEUR, en appeler à VOTRE témoignage : VOUS étiez à la tête des troupes auxi-

---

a) JEROME MERCURIALIS, & JEROME CAPIVACCI, Medecins de Padoue,  
Comment. v. SWIETEN de Morb. epidem. T. V. p. 189.

liaires de Russie, lorsque la peste les a affaillies : VOUS l'avez reconnue sans la crainte, & VOUS avez encouragé mes efforts, pour détruire cet ennemi intestin, tandis que VOUS repoussiez avec avantage les ennemis de l'état.

La bienveillance, dont VOUS m'avez honoré depuis cette époque mémorable, m'invitera toujours à la reconnaissance. J'ose suppliez VOTRE ALTESSE, de ne point juger de son étendue par la petitesse du tribut, que je lui offre, mais par la vivacité des sentiments, dont je suis pénétré : ils naissent en foule dans les coeurs bienfaits au seul souvenir des grands hommes, qui s'intéressent à la patrie.

Je suis avec le plus profond respect

MONSIEUR,  
de VOTRE ALTESSE

le très-humble & très-obéissant serviteur  
ROUTZKY.



## §. I.



Quum hanc de Peste dissertationem conscribere in me suscepi, superfluum esse judicavi, ut varias pestis denominations, quæ antiquissimis temporibus in usu erant, hic recenserem; eo animum meum potius intendi, ut exactam morbi cognitionem, ejus symptomata auxiliaque traderem, quæ dirissimo hoc morbo graffante, mihi observare licuit. Verum ne sicco penitus pede plurima scitu necessaria præterire videar, tam superioris quam hujus sæculi auctorum placita evolvi, consuluique, & quæ memoratu digna reperi, meos in usus vertisse reperies, B. L. benigna fronte excipias prolata enixe rogo.

## §. II.

Auctorum plurimi, nube pro junone capta, causas pestis cœlitus originem traxisse opinati sunt. Rem tanti momenti, quæ severo scrutinio esset limanda, tenebris

A

densis obscurarunt. In admirationem raptus fui, quum FORESTI *a*), summi olim medici, scripta evolvi, qui serio affirmavit, nec ad testes provocare erubuit, stellas de cælo cadentes, ignem delabentem in plateas supra domos frequenter sese vidisse, & pestem exinde productam. Tædio fui affectus, quum SCHREIBERUM *b*) legerem, qui pro vera causa pestis nubeculam assumfit quandam, quam chirurgi observatione stabilivit: „medio mense Septembris, ipsa „meridie, dum omnino sudum esset, ingressus sum oppi- „dulum, per tres menses clausum, in quo inspexi ado- „lescentem, modo mortuum cum carbunculo, atque no- „tavi nubeculam; hanc semper adfuisse & incolæ & custo- „des testati sunt. Quid de his DIEMERBROECKIUS *c*) quid ANTONIUS PORTI *d*) quæ vani astrologi, aliaque garrula gens, de cometis, certoque aspectu planetarum, lusu puerorum ferali, spectris, inclemencia cœli, deque horum similibus deliraverint, si recensere vellem, tempus inaniter consumerem. Utar autem his refutandis, ut falsis, ac incertis ratiociniis, verbis HIPPOCRATIS *e*), qui de morbo sacro agens præclare; „Neque, inquit, quidquam „aliis morbis divinus, aut sacrarius, sed eandem, ex qua „reliqui morbi oriuntur, materiam habere mihi videtur, ho- „mines vero ex imperitia, & admiratione, ei naturam quan- „dam, & causam divinam, inesse censuerunt, quod nulla „in re reliquorum morborum similis esset; & per consilii „inopiam, quod morbum non cognoscunt, illi divinitatem „asservant.

*a) Op. Med. Tom. I. Lib. 6. Observat. 9. de peste Delphenfi p. 199.*

*b) Pag. 6. Cbs. 5. de pestilent. in Ucrainia grassante, annis 1738.  
1739. edit. Berolini.*

*c) Pag. 19.*

*d) De peste Lib. I. Cap. 24. pag. 23.*

*e) Lib. de morb. sacro pag. 301. FOESII edit.*

Missa igitur facio, hæc omnia, circa pestem astrologica ratiocinia, ne in sublime évehar, inanes quærens per æthera causas; sed prémens vestigia naturæ, sequar rectum tramitem, qui mihi causas per effectus ad oculos monstrabit; quidque experientia & ratio in pennam dictabit, promam.

### §. III.

Pestem quoisque perstringes subtili ingenii scrutinio, quocunque speculaberis modo illius syndromen ab initio per totum morbi decursum, aliud de ea judicium ferre non poteris, nisi veram esse febrim statuas, exortam a putredine, propagatam per contagium, & quæ ab aliis febribus putridis, se non natura, sed gradu putredinis, & signis pathognomonicis distinguit.

Quam diversa sit hæc pestis definitio ab aliis, quas auctores condidere, qui scripta eorum evolvit, ei clare patet. Ut meam mentem ulterius explicem, singula, quæ illa puncta continet, probare conabor. Agitatæ jam fuere inter medicos lites, ut veram de peste notionem statuerent, & quidem eo præcipue tempore, quo lerna malorum, fatalem hominibus interitum minatur, atrocissime sæviens pestis mortalium turmas ad busta trahit, suprema magistratum judicia, ex commiseratione erga proximos, ubique locorum quærunt consilia, opemque in sublevandis civium ærumnis: nullis laboribus, nullis sumptibus, nulli curæ denique parcunt, ut imminens periculum averruncent. Sed proh! oleum, ut ajunt, & operam perdunt; nam medici, quorum officium exigit, his horrendis in casibus, salutare ferre consilium, eruere auxilia in solatium ac salutem ægrotantium suspendunt suum judicium, disceptant inter se an pestis sit, an alijs morbus. Sci-

te ejusmodi casus describit de HÆN f) „facta ait, malignos inter pestilentialesque morbos distinctione, indigne de morbi natura altercantur, atque aut ignorantia, aut astutia, aut magnatum verecundia, lucrive amore, pestem negantes maligni morbi vocabulo turpiter abutuntur, donec vastificum malum diruerit urbem.,, Hæc ansam mihi præbuere, dubia atque lites susque de que evitando definitionem pestis, ex vera ejus cognitione eruendi, quæ ut firmiori nitatur talo, sequentibus suffultam argumentis fistere conabor.

Neminem fugit, qui artis apollineæ principiis instrutus est, sæpe in diuturna obsidione circumvallatarum urbium pestem exoriri, cui excitandæ ut plurimum favet tum annonæ pœnuria (homines enim dira fame ad incitas redacti, vorant quævis obvia, quamvis in putridum tabum diffluentia corpora ), tum quod homines longum per temporis spatiū commorantes incarceratedi, imo destituti aura libera, hauriunt aerem nocivis imprægnatum effluviis, quæ resorpta in corpus communicantur sanguini, atque vi sua deleteria a naturali crasi illum recedere cogunt, dissolvunt: denique excitant febrim horrendis stipatam symptomatibus, quæ adorta homines in summa quæque vitæ discrimina præcipitat. Huic sententiæ astipulantur PORTI g) AWENSOAR h) FORESTUS i)

f) Ratio medend. Tom. I. §. 2. de feb. pestilent. p. 203. cap. 10.

g) De pest. pag. 25. pestis oritur ex cadaveribus & ex aëre non renovato ibid. Contrahitur putredo nostrorum huniorum a pravo potu, ciboque, dein fit febris putrida &c. ibid. pag. 28. & 29. citat THUCYDIDEM de peste Atheniensi, pestem, ait, præcedit aëris caliditas nimia, cum in tuguriis suffocantibus æstatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant, & quia humores ex vicissim pravitate, putredini erant obnoxii, hinc febribus pestentialibus origo data est.

h) Lib. 3. Tract. 3. Cap. 4. vidit in quadam civitate Magerus vocata,

Nihil in hac re magis ratum certumque esse poterit, quam veræ observationes, quas apud auctores haud sublestæ fidei, posteritati relictas reperimus; quæ nobis indicant, variis in locis morbum pestilentialem fæpenu-  
mero ex diversis corporibus originem traxisse, quæ sub ardente sirio, vel spirante austro, in putrilaginem redacta factis sui juris per motum intestinum putridis effluviis, in sublime actis, homines in confinio degentes, quo hæc deleteria spiravit aura, infecerunt, *k)* quod prosper ALPINUS sequenti evidenter illustrat exemplo: „in Alexandria Ægypti, quotannis mense Julio, augustoque a lacus cujusdam proximi aqua (quo tempore paucissima est nondum Nilo flumine inundante) putrescente, putridisque ex vaporibus exinde a ventis in illiusce aerem delatis innumeri febribus pestentialibus pereunt.” Etiam FORESTUS *l)* similia allegat exempla.

Post hæc notandum mihi venit, quod pestis, natales, quibus in locis suscepit, strictis limitata cancellis, neutriquam servet, sed pomœria indies extendens, spargat sua seminia in dissitas telluris oras, atque, ut ex traduce, ab aliis ad alios derivetur per contagium. Hanc rem evidenterissimiis exemplis evincit pestis in imperio Russorum

quod homines propter intensam famem frangebant ossa antiqua cadaverum, comedebant medullas ipsorum, & subito moriebantur.

*i)* In *Oper. med.* pag. 202. post bellum sequitur fames, dein pestis ut in obsidione Harmelensi.

*k)* *Med. Method. de febr. pestil.* pag. 301. Lib. 5. cap. 9.

*l)* Pag. 201. Lib. 6. observ. 9. &c. ubi fit inundatio, aqua rufus in alveos suos refluente, pisces moriuntur, etiam aqua diu remanente accedit sæpe putredo, inde pestis. Ibid. pag. 202. ab oceano in littus prope Egmondum piscis cete in siccum projectus, dein putrefactus infecit peste hoc oppidum. Ibid. In Africa, ubi mare innumeras locustas, & ranas mortuas in littus projecit, Teste Lucano earum multitudine peste, Illyria correpta fuit.

per contagium a Thracibus suscep<sup>tum</sup> grassata. Nam ultimo cum hac gente gesto bello, ob inevitabilem cum ea necessitudinem per merces aliasque allatas res hujus morbi delitescentem fomitem irrepisse observatum; alias enim in hac terrarum septentrionali plaga, ne fando unquam auditum, pestem exoriri, atque incrementum capere, pro ut illa in regionibus ad zonam torridam sitis, nasci ac adolescere solet. Nam durante hyeme, bruma rigidissimo omnia perstringens gelu felici omine putridas aeris exhalationes delet, quas aestivum fervens calore largitur cœlum. Ad hunc probandum casum temperare mihi neutquam possum, quin allegem sententiam Thomæ Willis m), quam ingeniose de propagatione pestis per contagium excogitavit. "Labes, inquit, pestis transferunt ad alios, sicuti ab omnibus corporibus, cujuscunque sint naturæ, atomorum effluvia semper excurrunt, quæ circum circa aeri innatant, quod fit a sulphure accenso, moscho, quorum exhalationibus distantia corpora imbuuntur, redolent. Et si tenues non evanescat in auras, imbuit suo fermento proxima corpuscula, novas adsciscit sibi copias & vires acquirit eundo; unde in fomite diu delitescit, donec idoneo subjecto impacta sese exerit, & labem alteri impertiens, pestem de novo resuscitat, & virus longe, lateque spargit, atque sui similem effectum producit." Nec parum confert ad affirmandum hoc argumentum casus descriptus in observatione prima, unde liquido patet, ab uno homine peste correpto, alios quoque, quibuscum illi intercesserat familiaritas, ejusdem efficaciam in semet per contagium expertos fuisse.

Sequitur jam, ut de ultimis verbis datæ definitionis meum feram judicium, scilicet pestem a reliquis febribus

putridis, non natura, sed gradu atque signis pathognomonicis distingui. Multus ut sim in his explicandis, nulla mihi subest ratio; nam cuilibet sat superque notum est, quod eadem ex causa febres miliaries, petechiales, & id genus plures morbi putridi proveniant, deinceps maiore in gradu sese exaltante putredine morbus pestilentialis prodire soleat.

Quod denique refert ad signa Pathognomonica: qui vel simplici vice peste infectos vidit, is facili negotio imbutus sufficiente cognitione symptomatum discrimen pestem inter aliasque febres eruet. Verbo ut hæc comprehendam, omnia signa, quæ in reliquis febribus putridis leniora apparent, lentoque procedunt passu, in peste ob insignem putredinis gradum sunt enormia, summoque cum impetu feruntur ad corruptionem corporum promovendam. Adsunt aliquando signa, ut ex sequentibus patebit, quæ solummodo in peste sunt conspicua, in aliis autem morbis putridis, quia non est tantæ efficaciæ virus, ut ea producat, non observantur. Hæc itaque symptomatum differentia provenit, non ex alia causa, quam ex majori intensitate fomitis putridi.

#### §. IV.

Hæc mihi hucusque de definitione causisque pestis dicenda erant; ad quæ affirmanda, meo quidem judicio allegata argumenta symbolam suam conferrevel maxime videntur, quæ fatis superque animo utrasque volutans in partes ulterius promovere annitor: cum vero vera cognitio morbi, alio comparari nequit modo, nisi æqua lance penitatis, atque ad incudem reductis ejus effectibus, ideo, ut pestis sufficientem notionem quilibet facilius sibi acquirere possit, ejus evolvere symptomata auspicabor.

## §. V.

Non est mihi animus recensendi ea pestis symptomata, quæ promiscue apud auctores descripta reperiuntur, ne mihi, & aliis oneri sim; exequar solummodo id, quod mei propositi est. Si vero alicui volupe est, evolvat DIEMERBROEKIUM n) A. PORTI o), atque rimetur, quæ sunt apud illos in grandem congesta acer-  
vum. Mehercle reperiet! quam plurima eorum, magis competere illis morbis, qui sœiente intercurrunt peste, ad ipsam pestem autem cognoscendam, pa-  
rum contribuere, quam ob rem fas esse videtur, si ea modo huc allegare operam dederim symptomata, quæ non ex codice aliquo excerpta, sed ex viva inspectione ægrotantium, quos misere luctari atrocissimo morbo vidi ad ultimum fati sui diem, minime confun-  
dendo cum signis aliorum morborum.

## §. VI.

Sub cuiusvis, qui accedit morbo pestilentiali in-  
fectum hominem, sensus cadent sequentia symptomata:

1. Facies pallida, oculi trepidantes, tremor artuum, æger se elevans vacillat instar temulenti.
2. Anxietas, debilitas summa, nausea, vomitus, dolor capitis gravatus, pulsus tum compressus vix sensibilis, tum intermittens, vel celer & parvus.
3. Bubones, anthraces, carbunculi, vibices, petechiæ. Recensitorum symptomatum, si quis saltem præcipua in ægroto deprehenderit, adhibueritque in auxi-

---

n) In oper. med. pract. de pest. Lib. I. Cap. 6. & 7. pag. 19 - 21.

o) Lib. I. de pest. Cap. 30. p. 31.

auxilium simul alias circumstantias, tum temporis gestas, pignore certabo, nunquam ab illo in detegendo morbo pestilentiali, errorem commissum iri.

Neque reticenda sunt illa symptomata singularem animadversionem merentia, quæ eo præsertim tempore, quo pestis summo cum furore suas exercet vires, in superficiem prodeunt corporis, ac inevitabile mortis prænunciant periculum; hujus census sunt sequentia: bubones, petechiæ, vibices lividi coloris *p*), bubes retropulsi, carbunculi *q*), anthraces insignis molis, cordis vicinias occupantes, diarrhœa sanguinolenta *r*), mictus & vomitus cruentus, ut accidit ægroto secundo in observatione prima descripto. Hæc omnia tum summam dissolutionem sanguinis, tum depositionem materiæ morbificæ ad aliquod vitale viscus indicant. Interea accedit, ut homines peste infecti præsentibus hisce symptomatibus, aliquando ad ultimam vitæ metam, sibi mente constent, idque ideo a medicis non negligendum esse arbitror, ne ægrorum res in vado esse credant, quando mors in procinctu est. His ad amissim perspectis, utrum salus? an interitus? hominum impendeat cervici, prævidere possumus.

### §. VII.

Symptomata, quæ hucusque recensui, unum eundemque fontem agnoscunt, licet in aliis appareant mitiora, graviora in aliis, hoc vel a quantitate materiæ morbificæ dependet, vel ab ejus qualitate, quæ vel nimis acris est, ut majori efficacia agat, ipsumque corpus uno quasi mo-

*p*) Obs. 1. ægrotus 1.

*q*) Observ. 1. ægrotus 2.

*r*) Obs. 2.

mento succumbere faciat, aut, si illa vi vitæ adhuc pelli-  
tur versus cutem, ultima vasa capillaria rodat, ut inter  
cutem & epidermidem hærens, carbunculos, anthraces,  
aliaque exanthemata producat. Hanc, quam foveo, sen-  
tentiam suo tempore PARÆUS proposuit s).

### §. VIII.

Peste nemo corripitur, nisi prægressa sensibili in cor-  
pore mutatione, ne exceptis quidem illis, qui subito mo-  
riuntur, pro uti SYDENHAMUS t) monet: qui subito  
peste moriuntur, eos prius invasit horror, quem illi  
neglexerunt.

### §. IX.

Accidit non raro, ut homines obambulantes cor-  
repti peste, extra spem vitam exspirent, cujus subitanæ  
mortis ratio in promptu esse videtur; nimirum dum vi-  
tæ vires nimia quantitate materiæ morbosæ oppressæ non  
sufficiunt, ut ea penitus e corpore eliminetur, æger inopi-  
nato succubit, secundum verba SYDENHAMI, qui sic  
hanc rem explicat: "natura materiam morbificam in febre  
solvere norit, vel ab eadem oppressa fatiscit., Idem fit  
etiam si vires non sint penitus destructæ, sed mala sorte,  
materia pestilentialis deponatur in viscus cordi vicinum,  
aut in ipsum cōr. Id quod annotaverat PARÆUS v) DIE-

s) Pag. 559. *Le charbon & la boſſe sont comme cousins germanes, & different seulement, que la matière de la boſſe est plus crasse & visqueuse, & celle du charbon plus acre, bouillante, furieuse & subtile, faisant escarre au lieu, ou il pied.*

t) Pag. 65. cap. 2. de peste.

v) Pag. 560. *Les charbons n'occupent pas seulement les parties externes, mais aussi quelques fois internes & quelques fois les deux ensemble, si intérieurement le cœur en est saisi sans*

MERBROEKIUS x), nec non ex mea observatione prima ægroti secundi liquido patet, materiam morbificam depositam fuisse ad ventriculum, cum æger aliquot ante mortem horas, sanguinem vomuit grumosum. Etiam ex secunda observatione animadvertere licet, depositiōnem materiæ fuisse factam ad pulmones & intestinā, cum sputum cruentum, nec non diarrhoeam cruentam tempore durantis morbi passi fuerint ægrotantes.

## §. X.

Sunt, qui non omnes homines ad suscipiendum miasma pestilentiale a natura aptos esse hariolantur, sed dari quosdam statuunt, qui omne per tempus durantis pestis ab omni labe immunes prospera valetudine fruuntur. Alii sequiorem sexum magis periculo obnoxium esse, quam viros, contendunt. Quidam y), infantes peste affici posse, negant. Quid de hacce opinione sentiendum sit, ex ulteriori examine patebit. Non inficias ibo, quod non tam facile contagium contrahat valetudinarius, vel diuturno morbo confectus, aut senex seruos agens annos, cuius torpidum, exsuccum, languidum corpus non est ita dispositum, ut facili opera recipiat miasma, receptum foveat, fotumque excitet in actum. Juvenem vero utriusque sexus in florida sua ætate constitutum, ob patentiores corporis poros, humorum abundantiam, rapidamque eorum agitacionem suscipiendo contagio, eique facilius promovendo

*aucune apparence exteriere, la vie est déplorée, est brieve, & les malades meurent souvent, en mangeant & en cheminant.*

x) de peste Lib. I. Cap. 13. pag. 110.

y) SCHREIBER observ. 18. pag. 25. & senes multi peste pereunt, sed sine bubonum ac carbunculorum apparitione, ast infantes octo annis juniores non extinguit, omnium maxime sunt passæ mulieres atque viris maturæ virgines.

aptissimum esse censeo : sed reperiri homines, qui prorsus morbo pestilentiali infici non possunt, minime credo.

### §. XI.

Res exigit, ut narrem, contagium pestilentiale dupli ratione corpori humano communicari posse, immediate vel immediate. Mediate, si homines vescuntur cibis corruptis, aut ejusmodi in locis degunt, ubi aer putridis effluviis scatens, haustus per inspirationem in pulmones, ac resorptus in sanguinem prædisponit corpus ad morbum pestilentiale, imo facta prædispositione producit eundem. Immediate vero, quando in mercionibus aliisque corporibus delitescens virus, asportatur per longos terræ tractus, ad dissitas regiones, ubi, nulla prævia in hominibus ad hunc morbum diathesi, resorptum in sanguinem afficit homines. Hinc evidens est, non solum ex concursu causæ occasionalis cum prædisponente; sed absque ulla prædispositione, in corpore sola occasionalis excitat morbum pestilentiale.

### §. XII.

Quæ mihi hic recensenda restant, satis superque com monstrant, pestem ab aliis morbis epidemicis quotannis populariter grassantibus eo differre, quod illa non ex vicissitudine aëris, sed ex meris putridis effluviis, ac contagio proveniat. Nam si illa ex vicissitudine aëris originem suam traxisset, ea in regione, ubi pestilentialis constitutio dominatum tenet, indiscriminatim inficeret omnes homines; sed prostant certissima exempla in locis, ubi pestis grassabatur, adhibita a contagio præservatione, cives ab ea immunes remansisse, prout SYDENHAMUS <sup>z)</sup> de hac re mentionem facit: "pe-

---

<sup>z)</sup> In oper. med. tom. I. cap. 2. pag. 65. de febr. pestil.

„ste, inquit, per universam Italiam immaniter grassante  
 „magni Ducis cura, atque prudentia, omnem necessitu-  
 „dinem commercii cum loco contagioso caute inhiben-  
 „do, aditum in Hetruriæ fines penitus interclusit. „ His  
 inter se collatis liquet, pestem cum aliis morbis epidemi-  
 cis non esse confundendam.

### §. XIII.

Omni jure non mediocrem meretur attentionem res, de qua hic loci mentionem facere consultum existimo; accidit nempe, ut miasma pestilentiale in humano corpore irretitum humoribus iners delitescat per aliquod temporis spatium, id DIEMERBROEKIUS aa) in peste Magoilanensi observavit, quod quoque aliquoties me observasse memini bb), atque fieri id potest sequentem ob rationem. Si miasma corpori humano non in sufficiente quantitate erat communicatum, vel virus non tanta pollet efficacia, ut brevi tempore; ac fieri solet, commotum, in morbum erumpat, sed seris deinceps diebus, vel mensibus ex suis evolvitur incunabulis, varioque habito ad id respectu, aliquando lethalem producit morbum, aliquando levissimis stipatuni symptomatibus.

### §. XIV.

Invitus descendo ad rimandam hypothesin, quam movit, optime meritus de republica litteraria SCHREIBERUS, Professor olim Petropoli clarissimus, cum enim ille spartam nactus fuerit, periculum faciendi in peste Otzacoviensi, quærens remedia quibus ei obviam ire queat,

B 3

aa) De peste Lib. I. cap. 4. pag. 15. & Lib. I. cap. 7. pag. 24.

bb) Observat. 4.

incidit in opinionem per analogiam aliquid expiscandi ideoque pestem cum aliis morbis comparare tentavit cc) "morbi aiens, qui cum peste similitudinem habent, nec nisi intensitate miasmatum, inter se differre videntur, variolæ & lues venerea sunt." Hac analogia facta ad Hydrargynum, ut ad sacram anchoram confugiendum putavit, imo dedit consilium chirurgo, ut id in usum provocaret dd). Sed diu post, cum chirurgus ei regesserit, perniciem attulisse ipsum medicamentum, hujus dein imprudentiæ adscripsit. Miror fane! quid obstitit, huic optimo viro, cur, cum habuerit aptam occasionem experiundi in ægris hoc remedium, majoris fiduciæ causa ipse non exhibuerit, sed alienis commiserit manibus, & sic totam rem in dubio reliquerit. Quod autem pestem cum morbis, qui toto cœlo ab illa & interesse invicem differunt, comparaverit, paucis de his disseram. Quænam quæso similitudo inter morbum pestilentiale intercedit, & luem venereum, quam effrenis atque impura largitur libido? Quid communis sit pesti cum variolis, quarum nos seminia e gremio parentum participantes in sinu fovemus, donec accedente causa occasionali in manifestum morbum erumpant? Si vero nec causæ, nec effectus horum morborum cum peste conveniant, quid ulterius convenire potest? Denique remedia, quæ in variolis salutaria sunt, minime profundunt in lue venerea, & viceversa; neque utriusque morbi remedia aliquid boni præstant in peste, ut morbo prorsus ex alio fonte originem suam trahente.

### §. XV.

Multa per sæcula obtinuerat mos tempore pestis capessere fugam, juxta dictum Alcibiadis: Stultum est non

---

cc) Pag. 53. prop. 13. pathol. therap. pest.

dd) Pag. 55. prop. eadem scholion 4.

fuga sibi consulere cum fugere possis. Quod GALENUS quoque magnus ille in medica arte vir secutus fuerat; & cum pestilentia Aquilejam invasisset, Romam exinde cum Imperatoribus se confugisse ait. Quod consilium, quam perniciosum sit, id quilibet facillime perspiciet: nam in ejusmodi casu, omnes ægrotantes relinquuntur diræ forti, atque omni ope destituti, ipsi sibi ob jacturam virium suppetias ferre impotentes pereunt, &, si quid hucusque dubias falsasque creavit inter medicos hypotheses de peste, hoc certe consilium; profugis enim omnibus sanis, nec salus ægris procuratur *ee*), nec morbi genius cognoscitur, ut in posterum duntaxat meliori cum successu tolli possit. Hanc antiquam exuere senectam, nobis curæ cordique esse debet, dum vivimus eo in sæculo, in quo studia summa fere fastigia tangunt, atque sequi vestigia naturæ, quæ nobis pestem non divum aliquem morbum, sed febrem putridam fistit, quæ adhibita justa cautela, absque omni periculo curari potest.

## §. XVI.

Incumbit mihi denique pensum, ut remedia proponam, quibus in peste solemus uti; & quamvis eorum

*ee*) PARÆUS. dans ses œuvres, chapitre 51. pag. 568. *Les plus opulens, même le magistrat & autres, qui ont quelque autorité ou gouvernement de la chose publique, s'absentent ordinairement les premiers, & se retirent ailleurs, de sorte que la justice n'est plus administrée, n'y ayant personne, à qui on la puisse réquerir, & lors tout s'en va à confusion, qui est un mal des plus grands, qui fauroit advenir à une republique, & les méchans amènent bien une autre peste, car ils entrent les maisons & y pillent & dérobent à leur aise impunément, & coupent le plus souvent la gorge aux malades, voire aux sains mêmes afin de n'être connu & accusé après.*

multa reperiantur apud auctores, promiscue tamen adhiberi neutquam possunt, cum magis illis splendoris, atque mysterii, quam virtutis inesse videtur ff). Ejusmodi sunt remedia ex gemmis preciosis præparata, lapidibus Bezoar, pulvere bufonum, amuleta ex arsenico, aliaque hujus prosapiæ innumera, quæ nihil contribuere valent ad morbum profligandum. Ideoque non abs re erit, si evitatis, quæ peperit superstitione, proponam modo ea, quæ ipsius morbi indoles, ac experientia nobis suppeditat.

### §. XVII.

Antequam methodum persequar medendi, cum quilibet civium, durante peste, se in periculo versari credat; de iis quæ præstant sanitati, remediis, prophylaxeos gratia, aliquid expediam.

Idiotæ, nec non aliqui de tribu medicinam rationalem tractantium, qui auri sacra fame laborant, diu noctuque impallescunt effingendis prophylacticis remediis, ut ignaram decipiendo plebem, copias divitiarum sibi comparent, ac sine conscientiæ morfu, ludentes de corio humano varia præservandi causa suffumigia, alexipharmacæ, aliaque remedia, sesquipedalibus adornata verbis caro vendant prætio. Longe absum, ut in ejusmodi ex cogitandis nefariis rebus tempus teram, potius, nullum esse præstantius contra omnes morbos prophylacticum, quam optime institutam vivendi rationem statuo, in quo autem hæc ratio consistit, sequentibus verbis exprimere curabo.

a. Excel-

---

ff) A DIMERB. citat. de pest. cap. 5. pag. 281. autores, qui adhuc fuerunt lapides pretiosos in peste AVENSOAR. MENDERERUM, ZACUTUM, LUSITANUM.

- a. Excessus omnibus in rebus solicite est evitandus, neque opiparis dapibus, neque crapulæ indulgendum, sed sobrie temperanterque vivendo in usum adhibeamus cibum eupeptum, & potum acidulum.
- b. Mundities in domibus, nec non aeris renovatio per fenestras, spiracula domus, aliaque media administrari debent.
- c. Pro odoramentis, ac suffumigiis cum emolumento adhiberi potest acetum simplex, vel cum herbis odoratis præparatum: neque unquam suffumigia tam domi, quam plateis, ex collectis fordidis quisquiliis, uti facere solent, sed ex lignis resinosis, bene olentibus paranda.
- d. Indusia sapone lota, ut DIEMERBROECKIUS gg) singularem de hoc animadversionem fecit, cave ne mox post loturam induas, nam remanens in illis humiditas ansam præbet ut recipiatur miasma facilis, sed prius suffumigio accensi sulphuris sunt imbuenda.
- e. Vester, lecti aliaque supellex eorum, qui peste laborarunt, post mortem relicta, cane pejus & angue sunt fugienda, atque tutius comburenda cuncta sunt hh). Varia utensilia ex metallis facta, dummodo sint depurata, sine ulla suspicione in usum adhiberi possunt.
- f. Conclavia, in quibus peste infecti decubuerunt, convalescentibus, vel mortuis illis eo usque non sunt inhabitanda, donec probe perfusa aere puro, ac suffumigio depurentur, vel quando illa sunt lapidea, calce renovanda sunt.
- g. Sollicite cavendum est, ne qui ægrotantes visitant, vel eorum curam gerunt, sua domo exeant, eodem vestiti amictu, quo, cum ægros inviserint, induti erant, atque si

gg) Pag. 148. lib. 2. cap. 3.

hh) DIEMERB. pag. 151. lib. 2. cap. 3.

in publicum prodeunt, gestent necesse est signa, per quæ quilibet illos cognoscens, diuturnum eorum effugiat consortium. Hoc apud Italos olim moris fuerat, atque publico edicto cautum, summaque cum cura observabatur. Quo pacto quilibet sibi necessaria comparare potest, nec salus publica aliquid exinde patietur detrimenti.

- 3. Nunquam visitandi sunt ægrotantes, nisi prius in eorum conclave excitentur suffumigia.
- 4. Cadavera a vespillonibus profunde sepulta calce viva insuper sunt adspergenda, ut eo citius fatiscant in humum.

### §. XVIII.

Nunc ad curandi modum transibo, quem comprehen-dam dupli ratione :

Quo pacto procedendum cum hominibus peste infestis, ab initio per totum morbi decursum.

Qualia remedia durante morbo sunt administranda.

I<sup>mō</sup> Neminem practicorum latet, morbum solis medicamentis tolli non posse, nisi adhibitis simul omnibus necessariis auxiliis; id quod præcipue in peste maximi momenti est, cum in ea non solum de salute unius hominis, quin imo publica agitur, nimirum ut æger conservetur, neque alios contagio inficiat. Quam ob rem ut utrique satisfaciamus scopo, nunquam imitari debemus eos, qui correptos morbo pestilentiali absque ullo discrimine publicis nosocomiis incarcерare solent. Sed sit nobis semper religioni, ne civem, qui muliere, liberis, propria domo atque re familiari gaudet, impie suis laribus privemus, ereptumque ex amplexibus familiæ ruditer trahamus in nosocomium, ubi si non morbo, mœrore saltem confectus misere perit, neque

domus ægrotantis est claudenda *ii*) sed procedendum in hoc casu ea cum cautela, ut §. XVII monui: quâ adhibita æger suis in propriis requiescens thalamis, tranquille ferre potest morbum. Evidem hæc methodus naturæ legibus magis consentanea esse videtur, qua pestis faciliori opera in suo primordio suffocari queat; hac de re optime differuit clar. de HAEN *kk*), cuius verba hic allegare duco: “quis terroris panici incusat gnaram horum plebem, quod pejus inferno has ædes horreant? & quis ob id non videt urbis pestilitatem augeri debere, ubi infinia plebs civium scilicet pars maxima, ipsique minoris ordinis cives, hæc nosocomia veriti suffocant primordia morbi, quærelam suppressimunt omnem, donec opportuni auxilii neglectu domus ægrotent insanabiliter? Quodsi senatu jubente quiscunque civium pestis suspicione laborat, confessim a chara conjuge proleque beata violenter sejungitur, & in hæc receptacula lethi, suos nunquam revisurus conjiciatur! Profecto si inter omnia, quæ hanc publicam calamitatem exasperare solent, loimologi ci nihil nocentius tædio ac mœrore uno omnes ore meminerunt, spem vix ullam de eorundem salute, in venenatis latibulis concipiamus”.

Adducta argumenta, si quis attenta excutiet mente, satis perspectum habebit, nosocomia illis in casibus, ubi

*ii) PARÆUS pag. 568. cap. 51. je me contenterai d'ajouter ici, que cette maladie rend partout l'homme si misérable & infortuné, que sitot qu'il est soupçonné, sa maison, qui lui étoit lieu le plus sûre & le plus libre, lui sert d'un cruel prison; car on renferme dedans, sans qu'il puisse sortir, ni que personne y soit admise, pour le secourir &c.*

*kk) Ratio med. Tom. I. cap. 10. de feb. pestil. p. 215.*

pestis populosissimæ perniciem minatur urbi , plus danni , quam utilitatis allatura fore , præcipue si nullo habito discrimine ægrotantes in ea conjicerentur , atque si magistratus tantos labores , ac tot impensarum , quæ ad construenda nosocomia consumuntur , converteret in alias inevitabiles necessitates , quæ populo tunc temporis contingere solent , procul omni dubio in sublevandis ejus miseriis sua non excideret spe.

**2do.** Præstitis omnibus , de quibus superius egi , medicus ut plurimum occupatus esse debet , ut naturam ægrotantis , atque symptomata morbi rite cognoscat , iisque deinceps perspectis , quæ in tali casu remedia in usum vocanda sunt exhibeat.

- α. Quam primum homo corripitur morbo pestilentiali , ad excitandas illius vires a materia morbifica oppressas sine ulla mora fecetur vena , atque vesicatoria ad furas applicentur.
- β. Exagitante vomitu , vel nausea , mox post venæ sectiōnem ad evacuandas impuritates primarum viarum , vomitorium propinatur ; deinceps finito vomitu exhibetur remedium cardiacum ; si rursus sequente die æger queritur de nausea ac molesta sensatione circa præcordia , non mediocre feret auxilium propinatum anti-phlogisticum laxans.
- γ. Reliquis diebus exhibeatur cortex peruv. per se , vel cum radice serpentariæ virginianæ , contrajervæ , camphora ; aliquoties de die repetito ad noctem , si nausea urget , medicamento cardiaco . Quæ remedia quilibet medicorum , urgente necessitate , juxta suum arbitrium dirigere potest.
- δ. Bubones quam primum apparuerint , mox applicetur illis cataplasma emolliens , atque continuetur donec perveniant ad suppurationem ; quod vesicatoria refert , æque ac cucurbitulas , quas plerique ad loca affecta applicare suadent , eorum usum , utpote in hoc casu mihi sus-

pectum omitto: neque enim vellem sine ulla prævisa utilitate, ægrum atrocissimis doloribus vexari.

Anthraces atque carbunculi, prout in ipso eorum exortu gangræna jam præsto est, profunde scarificantur, dein pulvere ex cort. peruv. gum. myrrh. sal. ammoniac. insperso, fomentationibus antisepticis foveantur, propinato simul interne corticè peruviano. Si res feliciter cesserit, procedendum uti vulnera ab omni labelibera illud exigunt.

### §. XIX.

Cui publicum bonum, salus, tranquillitas cordi est, is in abigenda peste, his tantummodo auxiliis minime acquiescit; sed omnes suos intendit nervos, ut cives continua, ac diuturna fruantur sanitate; nec minus, ac fœdere cum inimicis pacto, struit in limitibus suæ regionis arces, erigit propugnacula, ut semper sit paratus ad resistendum contra inimicorum invasiones. Pari quoque ratione pestilentia abacta ubique locorum, ad limites institui satagit quarantenas; quas neino adveniens permeare absque debita inquisitione audeat. Institutum est sapientissimum, quod satis laudari nequit, quid autem in eo majorem animadversionem meretur, hic paucis pro virili excipiam verbis: Scopus instituendi quarantenas in eo consistit, ne contagium pestis irrepatur in regionem; quamobrem eos, qui ex locis, ubi morbum pestilentiale grassari suspicio subest, adveniunt, in quarantenis per aliquot præfinitas septimanas indiscriminatim retinere in more est. Me judice hæc opera est inanis. Quis enim mortalium tempus determinaré valeat, quo præcise formes morbi in corpore humano delitescens in conspectum veniet? quis tanta sagacitate pollet, ut miasma pestilentiale, quod nonnisi in corpore humano idque per suos

effectus solum in nostros sensus cadit, etiam advenarum mercimoniis, corporibus plane inorganicis, irretitum esse perspiciat? ideoque, ut vana hæc in examinando morbo contagioso instituta exulent, sequenti modo procedendum. Medicus ex suspectis advenientes locis visitans, si omnes reperit sanos, nulla supereft necessitas, ut per longum tempus remaneant in quarantenis; si vero eorum quidam ægrotent, inquirat in genium morbi, eoque cognito judicium ferat, an illis introitus concedi possit, nec ne. Quod vetustam usitatamque supellectilem refert, severa lege interdicendum, ne quis eam trans limites in regionem ferre audeat. Hac ratione instituto tantæ utilitatis fit satis, neque transeuntibus ulla creatur molestia.

### §. XX.

En B. L. mea de peste cogitata, non ex alieno fonte, sed propriis observationibus petita, quæ si tibi alicujus momenti modo utilitatisque esse videantur, ero contentus; rem enim me proposuisse scio, uti non una vice observare licuit; & me sincere cuncta recensuisse tunc demum agnosces, quum tristem illam mortalium sortem propriis oculis aliquando intueri continget.

### OBSERVATIO I.

Anno 1771. initio mensis Novembris, exercitus præfidiarius Russorum hyberna egit in castello Demetrii, quo adlatis, diversis ex locis expugnatarum urbium Turcicarum, variis rebus, pestis per contagium excitata fuit. Quam ob causam exercitus, absque mora se contulit ad ripas fluvii Tanais, atque ibi castra locavit, eo consilio, ut exortum evitaret morbum. Interea temporis correpti fuerunt peste 280. milites; atque missi in nosocomium,

cujs cura mihi (prout eo tempore munus chirurgi præstiteram) demandata fuit: ubi in primis, sequens casus, qui ad hanc meam probandam dissertationem non parum contribuit, accidit.

Miles gregarius corripitur peste, atque altera die moritur, post ejus obitum omnes illius vestes, aliasque quas habuit res, comburere jussi: barbitonfor meo in hospitio habitans, inficiis omnibus, furto abstulit marsupium coriaceum, quod prædictus miles, super nudum corpus gestavit; hic quoque sua ilia eodem cinxit, atque quinque diebus elapsis sui criminis poenam luit: nam non solum ipse correptus fuit peste, sed etiam meum servum, ac unum militem infecit, quorum conversatione usus fuerat. Eorum morbi historiam sigillatim recensebo.

1. Barbitonfor annorum ætatis 19. athletici corporis, primo die, quo peste infectus, anxietate laboravit insigni, vomuit; altera die bubones coloris lividi, in utroque latere colli circa jugulum apparuerunt, eodem die ad vesperam morte fuit oppressus.

2. Servus, annorum ætatis 17, fano robustoque corpore, afflictus morbo, prima die anxietate, capitis dolore vexabatur, atque erat temulenti instar, eademque die in conspectum prodiit bubo sub axilla sinistra, qui altera die disparuit, tertia die deliravit æger, vomuit atrum grumosumque sanguinem, atque media nocte expiravit.

3. Miles annorum ætatis 23 constitutionis corporis mediocris, correptus morbo pestilentiali, præter anxietatem & nauseam, bubones in utroque habuit inguine, deliravit decursu morbi immaniter, ut vix coerceri domo potuisset, donec bubones ad suppurationem pervenerint, postea feliciter restitutus fuit pristinæ sanitati, atque quartus agitur annus, cum illum in legione pedestri Tulensi sanum reliquerim. His omnibus ægris adhibita erant remedia in dissertatione præscripta.

## OBSERVATIO II.

Anno 1772 mense Januario, septem leucarum distantia a meo nosocomio institutum erat alterum, eam ob rationem, ut nemo neque ex castello Demetrii, neque ex aliis locis, ubi pestis grassabatur, adire posset exercitum, nisi prius in eo per aliquod tempus moram ageret. Non procul ab eodem nosocomio apparuit in oppido vicino morbus pestilentialis, quo infecti homines missi fuerunt in nosocomium. Chirurgus legionis equestris JAWEL, qui tunc temporis nosocomio præerat, visitans ægros, eos laborare putavit peripneumonia, ratione sputi cruentati, ac oppressionis pectoris, postridie unum ex illis mortuum submisit cultro anatomico, atque reperiens pulmones maculis albis obseffos, primario chirurgo SALTZER, qui nunc Petropoli est, retulit, præfracte interim negans eum morbum esse pestilentiale: subsequente die alterum cadaver dissecuit, sed domum rediens ipse corripitur febre mali moris signis stipata; scripsit itaque ad Saltzerum, ut aliquis chirurgorum ad eum curandum mitteretur. Egomet hanc provinciam noctis & adveniens illum tertia die durantis morbi offendit abiisse ad plures. Subchirurgus ejusdem nosocomii me certiore fecit, quod nuper defunctus in ipso morbi initio horripilacionem, vomitum, postea petechias, ubique in superficie corporis efflorescentes, deinceps ad mortem usque diarrhæam cruentam, a depositione materiæ morbificæ ad intestina fuerit expertus.

## OBSERVATIO III.

Ejusdem anni mense Novembre Chersonesi Tauricæ in urbe Keslew, quæ ad littora Pontus Euxini est, tres milites peste infectos, ab excubiis primariis in meum adduxerunt nosocomium, duos cum bubonibus inguinum, tertium cum carbunculo in regione lumbari sinistra, qui omnes

omnes altera die occubuerunt. Facta inquisitione in causam morbi detectum fuit, quod illi repertis in suo hospitio culcitris succida fartis (quæ procul dubio post obitum peste infectorum derelictæ erant), decubuerint super illas, atque exinde morbum contraxerint. Quam ob rem ne contagium ulterius suas propagaret vires, omnes istius hospitiū res in acervum collectas comburere jussi, milites autem, qui una cum infectis erant, in suburbio domo spatiofa, atque undique aere libero perflata per aliquod tempus habitarunt, qua adhibita cautela, æque milites, ac tota populosa urbs, a peste conservata fuit.

#### OBSERVATIO IV.

Casus I. Anno 1773 hyberna egimus in subterraneis casis ad ripas fluvii Boristenis, prope castellum Kinburn. Vere appropinquante, venerunt ad subchiliarcham Begitzew ex Russia servi, qui iter facientes, transire debuerant loca, ubi pestis grassata fuit; & per sex integras septimanas ibi morati, nihilominus incolumes nostra habitacula adierunt. Octo diebus effluxis corripitur eorum unus febre cum bubone, in interna parte femoris sito mitissimis comitata symptomatibus, qua cessante, atque bubone ad suppurationem perducto, æger pristinam recuperavit sanitatem, absque ut aliquem sua labe infecerit.

Casus II. eodem anno in legione equestri Astrachanensi, in qua ab autunno in feram hyemem usque plenique militum febre pestilentiali perierunt, observatum fuit, quod in eadem illa legione, verno tempore eadem febris cum bubonibus adeo mitis evaserit, ut inde ægri feliciter convaluerint.



## THESES.

I.

**F**istula ani ex causa hæmorrhoidalí, aut cachexia orta non indiget operatione.

II.

In lithotomia calculi figura & situs melius digitis, quam instrumentis exploratur.

III.

In fracturis stricta deligatio periculi plena est.

IV.

Dato manuum accessu ad fœtum, in utero hærentem, ejus quoque extractio possibilis est.

V.

In hemeralopia hepar animalium pro fomento adhibitum omnibus medicamentis externis præstat.

VI.

In hydrophobia cantharides interne exhibitæ mercurio vivo præferuntur.

VII.

Sulci in interna cranii superficie non a pulsu arteriarum sunt facti.

VIII.

Nulla fit metamorphosis larvarum in vera infecta, sed evolutio.

IX.

Homines submersi post quadrantem horæ resuscitari non possunt, exceptis, qui foramine ovali cordis patulo gaudent.

